

le lib. 2. post. Anal. c. 10. t. 10. utrumque hâc in συζητήσῃ se-
quemur.

XXVI. Definitur ergò primò κατὰ τὸ ὄνομα summum
Bonum, quod sit ἀκρότατον καὶ τελότατον τῶν πραγμάτων ἀγα-
θόν, id est, ultimum sive extremum & perfectissimum actio-
num humanarum bonum. 1. Eth. c. 7.

XXVII. Est a. i. ἀκρότατον. Quia licet alij fines sint
intermedii, ad hunc tamen, tanquam ultimum, cujus gra-
tia fiunt, diriguntur omnes. 1. Eth. c. 1.

XXVIII. 2. τελότατον, tribus de causis. 1. Quia ἀριστον
est; Quod verò optimum, etiam perfectissimum sit neces-
se est. c. 7. 2. quia semper δι' αὐτὸ, hoc est, propter se, nun-
quam δι' ἄλλο expetitur. Si enim quæras, cur expetam di-
vitiâs, cur virtutem, cur honorem? Rectè respondetur, ut
benè beateq; vivam. At si perconteris ulterius, cur benè
beateq; vivere expetam? quia nunquam illud propter aliud
expetitur, nihil amplius respondere possum.

XXIX. 3. quia ἀνταρξία abundantia rerum omnium
est instructum, 1. Eth. 7. Abundantia autem rerum omni-
um satis instructum dicimus, non quod ipsi soli vitam soli-
tariam agentis, sed parentibus, liberis, conjugis, & omninò
amicis & civibus satis est, ita tamen, ut finis aliquis & ter-
minus sumatur.

XXX. Et tantum de definitione Nominali: Essentialis
hæc à philosopho affertur: εὐδαιμονία ἐστὶν ἐνέργεια τῆς ψυχῆς
λογικῆς κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελότατην ἐν β. ω. τελείῳ, id est:
Beatitudo est operatio animi rationalis secundum virtu-
tem optimam & perfectissimam in vita perfecta.

XXXI. Genus in definitione hac constituitur opera-
tio, vel actio, omne quippè membrum in homine ad acti-
onem quandam est formatum, homo totus operationi
destinatus est; Ergò & S. B. quo homo perfectus esse de-
bet, non in otio consistit, nec etiam in nudo habitu, sed
ad actionem tendat necesse est.

Per